



St. ...



1. Aug. Varenij diff. de religione tutissima. 1656.
2. Petri Malberg diff. de veritate Christianismi. 1706.
3. Bernh. v. Linden diff. de norma controversiarum fidei. 1709.
4. Sam. Schelguij diff. de haereticis fugiendis. 1689.
5. Henr. Lysij programma. 1725.
6. eisdem diff. de operosa iae 1725.
7. God. Weyeri diff. de ambitu theologiae 1708.
8. Christoph. Langhans animadversiones in anonymi theologiae astronomicae Systema. 1718.
9. God. Deutsch diff. de natura theologiae moralis. 1708.
10. Wilt. Luteri explicatio dicti Ezekh.

XIV v. idem 1037.

protop. Articulus

11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27



THEMATA
DE IUSTIFI-
CATIONE
FIDEI.

à

M. Paulo Weis, cum ab Illustrissimo Prin-
cipe Prussiae, & ampliss. senatu Academię
professio secundaria Theologiae illi de-
mandata esset.

PROPOSITA.
ad disputandum in Academia Regiomon-
tana 12. Octobris Anno 1582.



REGIOMONTI BORUSSIAE IN

officina Georgij Osterbergeri, Anno 1582.

Clarissimo viro doctrina virtute & dignitate pre-
dno Doct. Hieronymo Roth, Illmii principis consiliario &

THEMATA DE IVSTIFICATIONE FIDEI.

1.

IDEO genus humanum à DEO conditum est, ut conditorem rectè agnoscat, inuocet, celebret & cum ipso in omni æternitate uiuat, Iohan:17.

2.

Cum autem genus humanum peccato se auertisset à DEO, & factum esset reum mortis ac poenarum æternarum: Gen. 3. Rom. 5. Filius DEI ex arcana sede prodiens, Euangelium hominibus patefecit, & doctrinam de iustificatione hominis peccatoris coram Deo inde usq; ab initio tradidit, & libris Prophetis & Apostolicis describi uoluit, Gen. 3. Ioh. 1.

3.

Clamat autem æternus pater de filio Domino nostro **IESU CHRISTO** Matth. 17. Hunc audite. Et ipse filius præcipit ut scripturas scrutemur, cum in illis uita æterna contineatur, Iohan. 5. Itaq; hunc articulum studiose inquiramus & rectè cum in hac uita discamus.

4.

Hic articulus de Iustificatione discernit Ecclesiam ab omnibus alijs gentibus, quæ aliquam duntaxat partem legis retinent, & filium DEI atq; eius beneficia ignorant.

Hic

5.

Hic articulus uiuam continet consolationem aduersus fulmina legis, terrores peccati, iræ DEI, retrahit à morte & salutem æternam monstrat, Iob. 17.

6.

Hic articulus euertit totum Papatum & unicum est præsidium, non solum contra omnes uires & dolos hominum sed etiam contra portas inferorum, Luth. in 3. cap. Epistole ad Galatas.

7.

Et hic locus eodem Luthero teste diligenter discendus est, cum in eo comprehendantur omnes alij fidei nostræ articuli, eoque saluo salui sint & reliqui.

8.

Tradit uerbum DEI duplex genus doctrinæ. Alterum legis seu præceptorum, Alterum uero Euangelij, quod continet promissionem de Christo.

9.

Legis noticia homini in prima creatione insita est & sepius uoce diuina repetita, inque decalogo comprehensa, requirens perfectam conformitatem cum Deo, & promittens uitam omnibus perfecte obedientiam præstantibus ac damnans omnes non conformes huic normæ iuxta dictum, Deut. 27. Maledictus omnis, qui non fecerit omnia quæ scripta sunt in libro legis.

A Z

Euange

T
10.
Euangelium uero est mysterium a seculis abscondi-
tum rationi humanæ plane ignotum, imò contrarium, & di-
uinitus reuelatū, in quo Deus affirmat se gratis, nō propter
ulla nostra merita aut dignitatem, sed propter obedientiam
filij credentibus remittere peccata, donare imputationem
Iustitiæ & reconciliationem, Spiritum sanctum, uitam, læ-
ticiam & hereditatem uitæ æternæ. Sic dicitur Rom. I.
Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.

11.
Lex absolutissimam mundiciem interiore & exte-
riorem in omnibus uiribus humanis requirit iuxta dictum,
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota ani-
ma, & ex omnibus uiribus, & proximum tuum sicut te-
ipsum.

12.
Omnes autem homines sunt natura filij iræ in peccatis
concepti & nati, Ephes. 2. Psalm. 51. & cogitatio cordis
humani mala est, ino cor peruersum super omnia & misc-
rum & inscrutabile, Genes. 8. Jerem. 17. manifesta etiam
sunt opera carnis, de quibus Paulus Gal. 5. I. Corint. 6.
loquitur.

13.
Lex igitur non medetur sauciæ et morti obnoxia natura,
sed potius ostendit morbum & auget peccatum, Rom. 5.
Per legem agnitio peccati, Et Rom. 5. Lex auget peccatū.
Quare

14.

Quare Iustificatio hominis peccatoris non est quaerenda, discenda, accipienda in lege. Sed in Euangelio, quod monstrat filium DEI. Ioh. I. Ecce agnus DEI qui tollit peccata mundi.

15.

Docet igitur Euangelium sic fieri Iustificationem, quod aeternus pater ex immensa misericordia credentes in gratiam recipiat, eos iustos propter obedientiam filij reputet, peccata remittat, & haeredes vitae aeternae acceptet, ut Iustificatio nihil aliud sit nisi remissio peccatorum, reconciliatio, acceptatio personae ad vitam aeternam.

16.

Sic uocabulum iustificare sumptum est a forensi usu & significat absolueret, iustum pronunciarere seu reputare, & opponitur uerbo condemnare.

17.

Est autem causa efficiens nostrae Iustificationis aeternus Deus iuxta dictum Rom. 8. Quis accusabit electos Dei? Deus est qui iustificat.

18.

Causa impulsiva est misericordia, bonitas & dilectio DEI: Iohannis 3. Sic DEVS dilexit mundum. Deinde meritum CHRISTI, hoc est, integra eius obedientia, qua obediens patri factus est usque ad mortem

mortem, mortem autem crucis; Philip. 2. De hac dicitur
Rom. 3. Iustificati ipsius gratia.

19.

Formalis causa, non est nostra dignitas, seu nostrum me-
ritum, sed remissio peccatorum, & ipsa imputatio Iusticiæ
Christi, Psal. 32. Lucæ I. Rom. 3.

20.

Instrumentalis causa respectu DEI est ministerium
uerbi & sacramentorum per quod uniuersaliter omnibus
credentibus offertur gratia, Iohan. 3. Marci 16. Luc. 24.
Respectu autem nostri est sola fides apprehendens Chri-
stum & eius totam obedientiam, Rom. 3.

21.

Hæc fides non est solum noticia historie de Christo, sed
etiam firmus assensus, quo amplectimur omnes articulos do-
ctrinæ coelestis, & in primis promissionem de remissione
peccatorum GRATIS accipienda propter Christum, estq;
fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem. Ro. 4. 5.

22.

Fides accenditur per uerbum & sacramenta à Spiri-
tu sancto in ministerio Euangelij, Rom. 10. Fides ex auditu
est, auditus autem per uerbum DEI.

23.

Effectus iustificationis est iudicium, donatio Spiritus
sancti, læticia cordis, pax, sanctificatio, & hæreditas uitæ
æternæ, Ioh. I. Gal. 4. Rom. 14.

24.

Hinc

Hinc recte dicimus, Sola fides iustificat, non quate-
nus est opus aut qualitas ulla: Sed quia est medium & in-
strumentum quo Christum Salvatorem apprehendimus, pro-
pter quem nobis fides illa ad iusticiam imputatur, Rom. 4.

25.

Propositio enim, Sola fide iustificamur, intelligenda
est correlatiue, id est, gratis per misericordiam propter
Christum promissam, quam fide apprehendimus & nobis
applicamus.

26.

Nec sunt plures, sed unicus tantum modus Iustificati-
onis. Nam hæ propositiones, Sola fide iustificamur, sola
misericordia propter Christum iustificamur, Remissione
peccatorum sumus iusti, sola passio, mors, resurrectio, totaqs
obedientia Christi est nostra iusticia idem significant, nisi
quod causæ in his distinctæ recensentur.

27.

De his causis loquitur & D. Paulus, Rom. 3. Iustifi-
cantur gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est
in Christo Iesu, quem proposuit DEUS propiciatorem per
fidem, interueniente ipsius sanguine ad ostensionem iusticiæ
suæ propter remissionem præteritorum peccatorum, quæ
Deus tolerauit ad ostendendam iusticiam suam in præsentî
tempore, in hoc, ut ipse sit iustus & iustificans eum, qui est
ex fide IESU.

28.

Vbi D. Paulus nomine gratiæ non intelligit infusas
qualitates

qualitates, sed DEI misericordiam, uidelicet remissionem
peccatorum, reconciliationem et acceptationem gratuitam.

29.

Et quia scriptura sacra grauissime urget particulas
exclusiuas gratis aliquid operibus non ex operibus: Ideo pro-
positio uera est et utraque manu retinenda, quod SOLA
fides iustificet.

30.

Nam aeternus pater ex sola misericordia sine ullis uel
praecedentibus uel concurrentibus uel sequentibus nostris
operibus nos iustificat, Rom. 8.

31.

Debitus honos etiam filio Dei est tribuendus, quod
eius satisfactio sit sufficiens ad propeccatis totius ge-
neris humani, sicut Esaiæ 65. ipse Christus dicit: Ego tor-
cular calcaui solus, et ex populis nemo est mecum.

32.

Discernendae etiam sunt accurate promissiones legis
et Euangelij, quia lex promittit uitam cum conditione per-
fectae obedientiae: Euangelium uero gratis annunciat cre-
dentibus remissionem peccatorum,

33.

Nec conscientiae ullam ueram et firmam consolatio-
nem concipere possunt, nisi omnia merita excludantur. Ideo
Paulus ait Rom. 4. Ex fide gratis ut sit certa promissio.

34.

Et necesse

Et necesse est in omni inuocatione fidem saluificam prælu-
cere, sicut Christus ait: Quicquid petieritis patrem in
nomine meo hoc faciam, Ioh. 14.

35.

Fides etiam sola est que apprehendit & applicat sibi
Christum, & beneficia eius, Credenti in eum, qui iustificat
impium, imputatur fides ad Iusticiam, Rom. 4.

36.

Etsi uero tota scriptura sacra in hunc articulum præ-
cipue digitum intendit, ut uiam æternæ salutis monstret:
tamen quedam argumenta, quibus certo confirmatur, Sola
fide seu gratis, homines iustificari coram Deo, colligemus.

37.

Prima promissio, Genes. 3. Semen mulieris conteret
caput serpentis docet per Christum destrui regnum diaboli
& restitui Iusticiam & uitam æternam. Idem ostendit pro-
missio Abrahamæ facta, Genes. 15. 22. & repetita patribus
& uaticinium Iacob. Genes. 49. adeoq; omnia sacrificia
Leuitica significarunt uictimam Christum, qui tollat pec-
cata mundi. Ergo sola fides in Christum iustificat.

38.

Promissio facta Prophetæ & Regi David, de qua 2.
Reg. 7. Et Psalmo 89. dicitur, testatur Christum esse Re-
gem æternum & æterna bona distribuere, & ut explicat
Iohannes I. cap. de plenitudine eius nos omnes accipere. Er-
go nulla alia est uia iustificandi, nisi per Christum, quem fi-
des sola apprehendit.

B

Psalmus

39.

Psalmus 32. Beatum pronunciat eum, cui remissæ sunt iniquitates, & cuius tecta sunt peccata, & cui non imputantur peccata. Idem multis in Psalmis docetur, 6. 19. 38. 51. 102. 103. 130. 143. & alijs. Ergo iustificatio est imputatio Iusticiæ, quæ apprehenditur fide.

40.

Esaiæ 1. Si peccata uestra fuerint sicut coccinum erunt alba ut nix etc. Item 43. Me seruire fecisti in peccatis tuis, præbuiisti mihi laborem in iniquitatibus tuis: Ego sum, ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, Item 53. Vere languores nostros ipse tulit etc. Item, Scientia sui iustificabit seruus meus multos. Ieremiæ 23 & 33. Ichouah germen Davidis. Iusticia nostra dicitur. Item Danielis 9. æterna iusticia adducetur. Zach. 9. Christus Iesus Rex nominatur. Micheæ 7. Deponet iniquitates nostras & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Ad summam huic Christo IESU omnes Prophetæ testimonium perhibent per nomen eius accipere remissionem peccatorum omnes qui credunt in eum, Actor. 10. Ergo sola fide iustificamur.

41.

Vna est & eadem ratio Iustificationis omnium hominũ, Vt enim Abraham fide iustificatus est ante circumcissionem, Genes. 15. Rom. 4. Galat. 3. Ita omnes homines Sola fide iustificantur.

D. Pau.

42.

D. Paulus excludit omnia opera legis non modo ceremonialis & forensis, sed etiam moralis, Rom. 3. Omnia nostra opera z. Timoth. 1. Titum 3. Omnem nostram gloriationem, Rom. 3. I. Cor. 1. Ergo sola fide iustificamur.

43.

Lex operatur iram, quia ostendit transgressionem, Rom. 4. & ministerium est mortis, z. Cor. 3. Quia aeternam mortem denunciat peccato pollutis. Ergo sola fides, in Euangelio reuelata, iustificat.

44.

Necesse est promissionem hereditatis esse ratam & certam, Rom 4. Galat. 3. Sed ex lege Iusticia est incerta, quia nemo praestat perfectam obedientiam. Ergo sola fide in Christum iustificamur. 45.

Christus ideo missus est a patre in mundum, ut legi diuine satisfaciat, & in se hominum peccata deriuat, Gal. 4. Esaiæ s3 mortuus est propter peccata nostra & resurrexit propter Iusticiam nostram, Rom. 4. Si uero ex lege est Iusticia frustra Christus est mortuus. Gal. 2. Ergo sola fides iustificat. Haec enim apprehendit Christum, qui nos dilexit & semetipsum pro nobis tradidit, Gal. 2.

46.

Christus est Mediator & sacerdos in aeternum, Item, Rex noster Iustificator & Saluator, & Redemptor, ut I. Tim. 2. Heb. 8. & 12. Psal. 110. Matt. 9. Act. 10. I. Cor. 1

B z

dicitur

dicitur, hic ingressus est semel in sancta, æterna redemptione
reperita, Hebr. 9. Ergo sola fide iustificamur.

47.

Per Christum habemus redemptionem per sanguinem
eius, remissionem peccatorum, Ephes. 1. & 1. Iob. 1. Sanguis
IESU Christi emundat nos ab omni peccato, Zacharias
Lucæ 1. inquit, ad dandam salutem populo suo, quæ est in
remissione peccatorum, & 2. Cor. 5. Deus erat in Christo
mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua,
Ergo sola fide iustificamur.

48.

Christus ipse Matth. 15. inquit: O mulier magna est
fides tua. Et Lucæ 7. Fides tuate saluam fecit, & Matt.
8. prædicat fidem Centurionis Ergo sola fides iustificat.

49.

D. Paulus 1. Cor. 4. ait: Nihil mihi conscius sum, at in
hoc non sum iustificatus, & ad Phil. 3. omnia *δικαιώματα σκύβαλα*
reputat. Et inueniar inquit non habens meam iusticiam ex
lege, sed eam, quæ per fidem est Christi, qui est ex Deo Iu-
sticiam in fide. Ergo sola fides, quæ Christum apprehendit,
iustificat.

50.

Efficimur per fidem filij Dei, Gal. 3. Omnes estis filij
Dei per fidem in Christo Iesu, & Iob. 1. dedit eis potesta-
tem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Ergo
sola fides iustificat.

Tantum

51.

Tantum uera fides affert uitam & pacem cōscientijs,
iuxta dicta Abacuc 2. Iustus fide sua uiuet. Rom. 5. Iusti-
ficati fide pacem habemus. Et Ephes. 3. dicitur. In Christo
IESu habemus audaciam & aditum *ἐν ἀποδίσει τῆς διὰ τῆς πί-
στεως αὐτῆς*. Ergo sola fides iustificat.

52.

Ex his omnibus perspicuum est certum & immotum
esse fundamentum nostræ salutis, quod sola fide iustificemur.
Fundamentum aliud nemo potest ponere præter hoc quod
positum est, quod est IESUS CHRISTUS, I. Cor. 3.

53.

Etsi uero Iustificatio & regeneratio seu renouatio ar-
tissime copulantur: tamen maximū est in his discriminē, sicut
& D. Paul. distinguit inter gratiam & donū per gratiam,
Ro. 5.

54.

Iustificatio est ipsa remissio peccatorum, recōciliatio
cum Deo, acceptatio, seu ipsa imputatio propter obediētiam
filiij. Ita iusti sumus in hac uita imputatione propter Media-
torem.

55.

Regeneratio uero seu iustificatio aut renouatio est,
cū Spiritus S. in mente, uoluntate corde et omnibus uiribus
accendit nouos motus, nouas uirtutes, ut incipiamus Deo
præstare cultus placentes, Paulus nominat λογικῆς λατρείας,
Rom. 12. Ita & Rom. 6. nouitatem uitæ.

56.

B 3

Manent

Manent autem in conuersis multæ sordes, quæ in hac
uita nunquam deponi possunt. Video inquit Paulus Rom. 7
aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,
& captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in mem-
bris meis.

57.

Hinc licet bona opera necessario sequi debeant fidem
& renatos necesse sit bene operari: tamen certo statuendum
est, personam placere tantum propter fidem in Christum,
ut, Coram te innocens non est innocens. Et Psalm. 130.
Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustine-
bit? Item 143. Non intres in iudicium cum seruo tuo, Quia
non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

58.

Cognita & confirmata hæcenus aff. matiuæ, uidelicet
nos sola misericordia Dei propter filium Dei Dominum no-
strum IESUM Christum gratis per fidem iustificari: omnes
errores, qui quocumq; modo hunc articulum oppugnant, reij-
ciendi & damnandi sunt.

59.

Reijcimus igitur, & damnamus omnes Ethnicos, Ma-
hometistas, Iudeos, qui uel ignorant uel contumelia affi-
ciunt Christum. Qui non credit filio ira Dei manet super
illum, Ioh. 3.

60.

Impius error fuit Phariseorum, qui obseruatione le-
gis se

gis se uitam mereri statuebant. Quemadmodum & Pseu-
doapostolorum, qui & obseruatione legis & fide hominem
iustificari tradebant.

61.

Ita reijcimus & damnamus Pontificiorum & alio-
rum errores, tam ueteres quam recentes, quibus docuerunt
fide homines preparari ad iusticiam, ut alia re sint iusti di-
lectione uel alijs uirtutibus. Item, homines posse legi diui-
nae satisfacere, & impletione legis mereri uitam æternam
Item, oportere homines proprijs operibus mereri remissio-
nem peccatorum. Item, Perpetuo dubitandum esse, an si-
mus in gratia, Et similes alios, quorū in concilio Tridenti-
no plurimi impiè contra manifestum DEI uerbum cumu-
lantur.

62.

Improbamus etiam & damnamus errorem Osiandri,
qui redemptionem & satisfactionem Christi, adeoq; re-
missionem peccatorum à iustificatione separauit, & iustifi-
cari nos essentiali iusticia Dei in nobis habitantis docuit.

62.

Improbamus etiam & reijcimus dogma eorum qui
pronunciant opera esse necessaria ad salutem, neminem un-
quam sine bonis operibus saluatum esse, & ad iusticiam fi-
dei necessario præsentiam operum requiri.

64.

Tota hæc doctrina diligenter exercenda est in uera
conuer-

conuersione, Ita ut de nostris peccatis serio doleamus, iram
Dei, aduersus peccata agnoscamus, & uera fide ad Media
atorem Christum confugiamus.

65.

Exercenda est in omni inuocatione, Nemo enim nouit
patrem, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare, Matth.
II. & per hunc audemus accedere, Ephes. 3.

66.

Postremo exercenda est in tota uita. Præbet enim in
omnibus uitæ periculis ueram consolationem & in ipsa
morte portum æternæ salutis ostendit. Christus enim ipse
de se pronunciat, Iohan. II. Ego sum resurrectio & uita.
Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet,
Et omnis qui uiuit & credit in me non
moriatur in æternum.



Faint, illegible handwritten text, possibly a title or list of contents.

7017

71

M. 1. 1. 1.







THEMATA
DE IVSTIFI-
CATIONE
FIDEI.

50 79
50

à
M. Paulo Weis, cum ab Illustrissimo Prin-
cipe Prussiae, & ampliss. senatu Academię
professio secundaria Theologię illi de-
mandata esset.

PROPOSITA.
ad disputandum in Academia Regiomon-
tana 12. Octobris Anno 1582.



REGIOMONTI BORVSSIAE IN
officina Georgij Osterbergeri, Anno 1582.

Clarissimo viro doctrina viritate & dignitate pre-
dno Doct. Hieronymo Roth, Illius principis consiliario &